



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Mauritius Cum Soc. MM. 22. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

*intra cum peccatoribus convivium Domini tui, ut possis non esse peccator. Agnosce Christum, audi Dominum tuum, audi celestem medicum: si vis curam, agnosce languorem; si cupis misericordiam, confitere peccatum.* P. Chrysol. serm. 2. de S. Matth.

## S. MAURITIUS CUM SOC. MM.

22. Septembris.

**V**Ocaverat ex Thebæâ legione jam semel iterumque ad supplicium decimum quemque Maximianus, cum ita ad reliquos dux MAURITIVS: Libavimus milites hodie sanguinem nostrum, nondum litavimus. Sed bonum factum! litabimus, ubi nostrum cum sociorum cruore miscbimus. Illos è cælo jam spectare vos, è cælo audire credite. Quid enim? erubescite. primus è nobis cælum subiit, quisquis decimus cecidit. Proinde si viri estis, uni semper novem invidetis. Me non ducem putate, nisi ad mortem moriendo vos duxero; vos modò mortem triumphalem portam credite. Nimirum uno jam ore omnes Maximianum incusare; quid tam parcè biberet, quem tam sitiret sanguinem? Indulgeret improbæ siti, quando sibi tantumdem sanguinis in divite venâ ac sociis bulliret. Si crimen esset DUS non sacrificare, crimen hoc omnium esse. cur pauci luerent, quod omnes peccassent? Itaque cingit omnis exercitus fortissimam phalangem, mactatque omnem; cum ecce veteranus supervenit, clamat, frustra veteranum se dici, si præmia juvenes præripiant; frustra tot stipendia numerare, si nullam martyrii palmam. per emeritam denique se nectam orat, sequi saltem triumphantes in cælum Thebæos liceret, quos præire tarda ætas prohiberet.

22 Sept. VITÆ SANCTORVM. 461  
buiſſet. Et annuit etiam huic Maximianus, in hoc  
uno adverſus Chriſti cultores liberalis. Et profe-  
ctò in nullis puto canis tam pulchrè vel ſanguis  
rubuit, vel laurus viruit. *Ex Surio.*

*Solenter animus ante actionis ſuæ primordia cuncta  
debet adverſa meditari; ut ſemper hæc cogitans, ſem-  
per contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid  
acciderit, providus ſuperet; & quidquid non acceſſerit,  
lucrum putet. S. Greg. 5. Mor.*

S. PHOCAS M. 22. Septembris.

Hortum PHOCAS dum vixit, coluit. Horti  
pulcherrimam roſam ipſum non malè horti-  
cultorem dixero, tunc præcipuè, ubi ſuo ſe ſangu-  
ne rigavit. Cæterum patria illi Sinope fuit, ferax  
olim philoſophorum urbs: quibus quidem omni-  
bus vel opum vel mortis contemptu certavit oli-  
tor noſter. Etenim quidquid hortus ferebat,  
prudentiùs PHOCAS in miſeros hoſpitesque,  
quàm ille olim in mare abjecit. Jam verò pro Chri-  
ſto moriens haud paulò elegantius Chriſtianæ  
philoſophiæ ſanguine, quàm noſtrates philoſophi  
atramento, ſubſcripſit. Sed audite vos qui fortiter  
declamatis, molliter morimini, in lectulis & men-  
ſis ſapientes. Adſunt ſpiculatores, qui PHOCAM  
ad gladium quærunt. Tecto, menſâ hic ipſe exci-  
pit, & hoſpitalitatis teſſeram ſecurus cum hoſti-  
bus communicat. Interea quærunt hi quis PHO-  
CAS? ubi agat? quibus conſiliis capi, necari poſ-  
ſit? Nimirum ait PHOCAS, hunc nulli æquè ac  
ſibi notum, nec longè abeſſe, & verò poſtero die  
traditurum ſe PHOCAM ſine turbis in manus  
ipſorum. Interim tumulum ſibi parat ſuus pridie  
veſpillo, poſtridie proditor. Cohorruere ſatelli-  
tes,